

72 *Redintegratae Annotationes ad Chronicon Marmoreum,*

Epoch. 75. A.M.C. 3637. ante Evang. 396. Periodi 7. 85.

*A quo Dionysius Siculus mortem obiit, ejusque filius Dionysius tyrannide potitus est, & Alexander regnavit, anni CIV, Archonte Athenis Naufigene.*

A quo Dionysius senior Syracusarum tyrannus mortuus est, & filius ejus Dionysius tyrannidem obtinuit; & Alexander (Pherarum in Thessalia tyrannus, ita equidem supplenda existimo mutila Marmora) regnavit; anni fuerunt 104, (qui sunt 396 ante Evang.) Archonte Athenis Naufigene. Dionysii senioris mortem, & junioris initium tyrannidis, eodem anno 1 Olympiadis 103, eodemque Naufigene Archonte, refert Diodorus: eodemque anno Olympiastico Eusebianum Chronicon.

Liquet etiam Alexandrum istic significatum, esse Pheræum, Jasonis Pheræi, & Polydori fratrem, potentissimum Græcorum sui seculi, inter Dionysii senioris mortem & acquisitam Philippi Macedonis potentiam, Dynastam; qui Pelopidam celeberrimum post Epaminondam Thebanorum ducem magno prælio occidit: & quem sub hunc ipsum annum refert Diodorus, fratrem Polydorum *περὶ κληθέντα εἰς μέδων*, provocatum ad potandum, Pharmaco five veneno sustulisse, & in Thessaliæ Dynastiâ ei successisse, regnasseque annos undecim.

Epoch. 76. A.M.C. 3639. ante Evang. 394. Period. 7. 87.

*A quo Phocenses in Delphis — Athenis Cephifodoro.*

A quo Phocenses τὸ ἐν Δελφοῖς [scilicet ἱερὸν εὐάλη], (ita quidem videntur supplenda mutila Marmora) Templum Delphicum sacrilege expilarunt] anni item sunt oblitterati, relicto solum Archontis Athenis nomine Κηφισοδώρου, five Κηφισοδότης. Cephifodorum Diodorus, lib. 15. Archontem refert anno 3 Olympiadis 103. Cephifodotum vero, lib. 16. octennio postea, viz. anno 3 Olympiadis 105, anno autem 34 ante citimam Marmorei Chronici Epocham ac 386 ante Evang. sub initium belli Phocici, five Sacri, quod anno insequente, uti refert idem Diodorus, suffragante Pausaniâ in Phocicis, susceptum est, occasione sacrilegii Philomeli Phocensis, hoc anno perpetrati, juxta Marmoreum Chronicon.

Epoch. 77. A.M.C. 3648. ante Evang. 385. Period. 7. 96.

*A quo Timotheus nonagenarius fato functus est, [Philippus Maced. &c.]*

A quo Timotheus natus annos 90, mortuus est, mutilis Marmoribus, Seldeno nostro videtur desiderari tum annus Epochæ, tum etiam Archon. Et si vero Timotheus Cononis filius, Atheniensis civis, & militiæ dux prudentissimus fortissimusque circa hoc tempus magno natu fuit, uti scribit Æmilius Probus five Cornelius Nepos in ejus vitâ: istic tamen intelligi videtur Timotheus Milesius Musicus celeberrimus, cujus supra mentio facta est è Diodoro. Quum autem Cephifodotum Archontem apud eundem Diodorum continuo insequatur Agathocles, qui etiam istic in mutilis Marmoribus proxime occurrat, videatur utique hæc Periocha cum sequentibus in eandem Epocham compingenda.

Epoch,